

Pf 347.15

II u  
46





FACVLTATIS MEDICAE  
IN  
ACADEMIA VVITTEMBERGENSI  
SENIOR ET H. T. DECANVS  
**G E O R G I V S A V G V S T V S**  
**L A N G G V T H**  
PHILOS. AC MEDIC. D. PATHOL. ET CHIR  
P. P. ORDIN  
PANEGLYRIN MEDICAM  
A. D. XXI. IVLII CICICCLIX  
**I N A V D I T O R I O M A I O R I**  
HABENDAM  
INDICIT  
PRAEMISSA DE EX OPTANDA SINE METV MORTIS  
MORTE COMMENTATIONE PRIORE



UNIVERSITATIS MEDICAL  
IN  
ACADEMIA ANTIQUISSIMA  
SENIOR ET A DECENIA  
GEORGIAE AVGVSTAE  
LAVOGATH  
PHYSICI AC MEDICO MATHONI ET CHI  
SICARDI  
PANGEYRH MEDICINA  
A D ZKU TAKII CIVISCOPIA  
INDICAT  
ANUNDICATIO MEDICAI  
HABENDA  
INDICAT  
PRAEVENSE BE EXORTANDA SIVE METU MORTIS  
MORTE COMMUNICATIOME TRIBUS





**I**rrita, igitur, et incommoda vota PLATO fecit, viamque  
ad immortalitatem non inuenit. Nihil hic mortalia pos-  
sum tentamenta, nihil medentia artes, ned ad summum,  
etiam per mille mortes, euecae fastigium:

*Sed rigidum ius est, et ineuitabile mortis;  
Stant rata non vlla fila renenda manu.* a)

Summa tamen vitae dulcedo est, et ingenita nobis viuendi cupiditas; mor-  
tem natura omnes deprecamur, horroreque, quo fata vergant, timentes  
quatumur.

*Heu, quam dulce malum mortalibus additum,  
Vitae dirus amor: quum pateat malis  
Effugium, et miseros libera mors vocet,  
Porrus aeterna placidus quiete!* b)

O! quam verum rectumque ARISTOTELIS enunciatum est: omnium re-  
rum nihil morte terribilius esse, nihil acerbius! c)

\* 2

Enim

a) OVID. *Confol. ad Liu.* 443.

c) *Ethic.* III. 6.

b) SENEC. in *Agamemn.* 589.

Enim vero, quodnam in tanta omnium calamitate et communii miseria  
capiendum consilium? quid factu, mortalibus nobis, opus est? Audiamus  
Poetas, licet. Philosophos imitari conemur. Qui si nihil proferent, Me-  
dicos appellemus, nisi arte sua mortem propulsuros, consilio tamen et pru-  
dencia effecturos, ne bis omnino moriamur, hoc est, ut mori nos non sen-  
tiamus. Quid aliud, nisi ipse vitae auctor intercesserit, desideremus?  
Scilicet,

*Est metus ille foras preeeps Acheruntis agendus  
Funditus, humanae qui vitam turbat ab ino;  
Omnia suffundens mortis nigrore: neque ullam  
Esse voluptatem liquidam puramque relinquit. d)*

Hic pia vota bonasque preces religione, ante omnes, plenissimi Poëtae, re-  
quirunt atque vrgent, humanas vires, numquam de morte triumphaturas, vi-  
dentes. Diuinam hinc opem implorandam SENECA, grauis et sententio-  
sus auctor, suadet:

*Optanda, inquiens, mors est, sine metu mortis mori. e)*

Accedit in consiliū focietatem IVVENTIS, ubertate dicendi ei acumine pree-  
stans, seuerus vitiorum censor, hoc demum poscendum iudicans:

*Fortem posce animum, mortis terrore carentem:  
Qui spatiuum vitae extremum inter munera ponat  
Naturae. cert. f)*

Ipsamque dearum reginam Didoni, vitam gladio finienti, facti tamen pleni-  
tudinem gementi, Iridem, vocis suae fidissimam nunciam, opem laturam,  
missile, VIRGILIVS, propter sapientiam et eruditioinem PLATO Poëtarum.

d) LVCRET. de Rer. Nat. III. 37. e) f) Sat. X. 357. vii la. 157. viii 150. vi  
e) in Troade, 870.

\* \* \*

vt HOMERVS ante; non immerito appellandus, elegantia insuperabili fingit,  
canens?  
*Tum Iuno omnipotens, longum miserata dolorem,  
Difficilesque obitus, Irim demisit olympos,  
Quae luctantem animam nexosque resolueret artus.* g)

Hic non orandum tantum, sed etiam laborandum, Philosophi contendunt, ut metu mortis nos exsolvamus. Esse enim debere mortem philosophi meditationem, sapientiamque perpetuam eius commentationem; ipsam vero mortem nihil aliud habendam esse, quam commutationem vitae, animi immortalis a mortali corpore dissolutionem, omnium misericarum finem, migrationem in eas horas, quas, qui ex hac vita excellerint, incolant, redditum denique animi ad deum, inque ipsum plane conuersionem; virtutis autem studio illam animi fortitudinem parandam, quae contra teterimum mortis metum nos omnino tueatur. Hinc admirabilia Philosophorum, de contentu mortis, de vitae breuis felicitate, de virtutum viribus, de animi immortalitate, de melioris vitae spe et fiducia certissima, praecepta. h) Hinc magnorum animorum, in quae intueamur; quae imitari audeamus, exempla luculentissima. Tacemus Diogenem illum Cynicum, mortem nihil mali, nec nisi fratrems somni, reputantem; itemque Damipdam, morte contenta nihil mali sibi expectandum, Philippo respondentem. Vnus SOCRATES, vt exemplar aevi prioris, nobis proponendus est, qui, pacato, et ad futurae vitae spem erecto, animo, nihil tremens, nec vultu nec colore mutato, exhibitum venenum, fusis ad deos precibus, alacriter bibit, quidque sapientia vera, virtusque, per omnem vitam culta, nou nomine tantum usurpata, possit, tam praeclarare ostendit, vt tanta animi magnitudine parta, de morte, non inexpectata, sed praesente et terroris plenissima, victoria, vix fidem inuenire posse videatur. i)

\* 3

Equi.


g) Act. IV. 693.

Paradoxa, aliquae infinita.

h) Conf. Platonis *Apolog. Socr. et Phaedo.* i) PLATO in *Phaedone* p. 86.

CICERO. Quæst. Tuscul. de Nat. Deor.





Euidem PLATONEM, haec commemorantem, k) legentes, facile deprehendimus, persuasioneM SOCRATIS de animi immortalitate, spemque adeo eius de futura beatissima vita, tam firmam, et omnibus absolutam numeris, non fuisse, ut mortem, omni electa formidine, triumpharit. Ipsam scilicet virtutem, nec SOCRATES, nec alii laudati virtutis magistri, amplexi sunt; sed omni animi contentione id vnum quaequierunt, ut, ob virtutem, post fata adhuc, gloria ac laude viuerent. Quod CICERO non modo non dissimulat, sed conceptissimis etiam verbis docet: *mortemne mihi mitiatis, inquiens, ut omnino ab hominibus demigrandum sit? mors terribilis est iis, quorum cum vita omnia extinguntur: non iis, quorum laus emori non potest. Quam ob rem, quid quid est laudabile, idem et beatum, et florens, et expetendum videri debet.* l)

Quare etiam alii, non minus magni et cordati, sed ingenui magis, nec ipsos se fallere docti, viri, philosophicam hanc, de animi immortalitate et speranda beatissima post mortem vita, persuasioneM, tam certam validamque non esse, sentientes, ut mortis imminentis, iamque in cœrūcibus haerentis, terroribus, omnino, et sine contrarii formidine, acerbissimoque sensu, possit opponi, alia longe via adgrediendum esse viderunt, arque professi sunt.

Alii hoc argumentum: mortem ipsam non esse sentiendam, prioribus addiderunt; inanem eius metum esse, ut his persuaderent, qui de animae immortalitate, verum huius doctrinae fundamentum ignorantes, dubitabant. Vel hoc enim modo, mortem non esse malam, cuinci posse, ipse PLATO iam colligit, *mortem, aiens, sit alterum e duobus, necessè esse: ut aut sensus omnino mors omnes auferat; aut, quem ad modum dicitur, in aliis quendam locum ex his locis morte migretur.* m) EPICURVS autem mortem nihil aliud esse, definit, *quam priuationem sensus propter excessum.*

k) ibid. p. 48. Conf. RUCKERVS, Hist. I) in Paradoxis.  
Philof. T. I. p. 552. sq.

m) in Apolog. Socr. p. 30.

\* \* \*

*sum animae, cuius cum excessu omnis, post mortem etiam sensus extinguitur.* <sup>a)</sup>

Sed neque nouum hoc argumentum omni exceptione maius videbatur; quum nullae eius rationes ex prioribus, indubitate veris, suppeditari possent; ad experientiam autem, propter omnem, post mortem, aboleri creditum, sensum, nullumque ab inferis redditum, non esset prouocandum. Quare tandem, inexpectatam, nullisque ex vestigiis prodigisque agnoscendam, mortem, omnium esse optimam, vorisque expetendam, prudentiores collegerunt. Ita **TVLIVM CÆSAREM** pridie, quam occidetur, in sermone nato super coenam apud M. Lepidum, quisnam esset finis vitae commodissimus, repentinum inopinatumque praetulisse, **SVENTONIVS** <sup>b)</sup> refert. In quam mortis repentinae, tamquam naturalis, praerogatiua, sine ambitione, tam lubenterque **PLINIVSP** <sup>c)</sup> consentit, ut summam vitae felicitatem in eadem reponat, interque innumera, felicibus opposita, miseriарum exempla, M. Lepidum, euenti anxierate mortuum, recensfeat.

Atque nobis etiam non vna cauſſa est, quare ad duo ista, posteriore loco propoſita, despicienda mortis argumenta, p̄ac reliquis omnibus, longo ordine hactenus expositis, quemdam quasi principatum deferendum censeamus. Eſi enim, longe efficaciora ex ipſo facro codice defumenda, illaque dies noctesque religiosissime cogitanda, eſſe, nemo, niſi profanus, et ſuo ſenu abundans, negauerit: rationem tamen eorum, quae in ipſa morborum curatione, prorogandaque prope depositorum vita, multiplicem ſimil uilitatem p̄aefant, vel maxime habendam eſſe, nemo pariter non confeſſerit. De qua re, ita ferente occaſione, pluribus, prope diem forsan, disputabimus.

Iamque adeo ad commandandum **E N E V O L O** **L E C T O R I** nos accingimus,

<sup>a)</sup> LAERT X. 65. conf. BRUCKERVS,  
<sup>b)</sup> PA 1281.

VIRVM

\* \* \*

VIRVM NOBILISSIMVM ATQVE DOCTISSIMVM,  
DN. IOANNEM CHRISTIANVM AVGUSTVM  
NEEFIVM.

CHEMNICENSEM HERMVNDVRVM  
ARTIS SALVTARIS CANDIDATVM DIGNISSIMVM,

pluribus doctrinae speciminibus, cum laude editis, praefitisque praefstandis  
omnibus, ad summos in Arte, promeritosque, honores modeste adspiran-  
tem, vitaeque rationes, venia Tua, Tibi hoc modo enarrantem :

*Ego IOANNES CHRISTIANVS AVGVS  
STVS NEEFIVS, primam lucem aspexi Che-  
mnitii anno huius seculi XXIX. Pater meus IOAN-  
NES ARNOLDVS NEEFIVS, Iureconsultus, Prae-  
tor Chemnicensis, et censuum provincialium Procura-  
tor, mature, anno cccc xxxviii. diem obiit  
supremum. Mater vero IOANNA REGINA, nata  
ENGELIA, praeterito demum anno viuere desit.  
Avum paternum colui ARNOLDVM CHRISTOPHO-  
RVM NEEFIVM I.V.Dr. et Consulem Chemnicensem,  
et aviam, IOANNAM REBECCAM natam WILDE*

CKIAM



\* \* \*

CKIAM. *Aius vero maternus mihi fuit, IOAN  
NES FRIDERICVS ENGELIVS, Iureconsultus et  
Consul Chemnicensis; Auiaque materna IOANNA  
REGINA nata HAHNIA.* Patre meo b. defuncto,  
Freibergam petii, ubi patruelis, frater beati patris  
germanus, educationis in se curam suscipiens, me  
priuatis morum studiorumque moderatoribus tra-  
didit, tantis ornatum beneficiis, ut a parentibus plu-  
ra expectare non potuissem. Quod insigne amoris  
documentum semper magna cum pietate venerabor.  
Neque etiam, nisi ingratissimus, silentio praeterire  
possum, patruelam alterum, AVGVSTVM NEEFIVM,  
*I. V. Doctorem et Practicum Dresdae florentissi-  
mum, qui, ut auxilio, sic consiliis, mihi subuenire num-  
quam destitit.* Cum per aliquot annos priuatorum  
praeceptorum informatione usus essem, Gymnasium  
Freibergense frequentare coepi, praeceptoribus

\* \* \*  
fidelis-



*fidelissimis et doctissimis traditus, B. M. MOLLERO,  
M. BIEDERMANNO, M. LVTHERO, M. HARZBA  
CHIO, B. M. BEYERO cui annis quinque praeterlapsis,  
ultimum vale acclamaui.*

*Hinc anno cIɔ Iɔ CC XLVIII. Vittebergam me  
contuli, a Magnifico t. t. Rectore, STENZELIO,  
in numerum ciuium academicorum receptus; a quo  
tempore in philosophia doctorem nactus sum Virum  
Celeberr. HILLERVM, itemque in Iure addiscendo,  
Illustres ac Iurisconsultissimos Viros, B. LEYSERVUM,  
B. CRELLIVM, RIVINVUM b. t. Academiae Rectorem,  
diuersas Iuris partes enarrantes. Quatuor annis sic  
expletis, instinctu quodam naturali, et suasa amico-  
rum sanguinis vinculo mibi coniunctorum, nec non ipso  
Abauimei, IOANNIS NEEFII, qui Diuorum quondam  
Saxoniae Electorum Principum, MAVRITII atque  
AVGVSTI, Archiater, ipsique glorioſiſmo Impera-  
tori,*

\* \* \*

tori, FERDINANDO, a consiliis medicis fuerat, exemplo commotus; stipendioque publico, quo posteritati suae bequale prospexit, adiutus, relicto studio iuridico, arti salutari nomen dedi. In qua discenda ita versatus sum, ut Materia medica Celeberr. B. VATERVS, Aphorism. Hippocrat. Illustris TRILLERV<sup>S</sup>, Physiologiam, Pathologiam et Therapiam utramque, Semiologiam, artem obstetriciam, Medicinam legalem, Chirurgiam, Celeberr. LANGGVTH, Anatomiam, Botanicam, Chimiam, Materia medica item Celeberr. BOEHMERVS me docerent. Matheisin ab Excell. B. WEIDLERO demonstrata accepi, et Physicam experimentalem ab Excell. BOSIO. Medicinam denique Legalem denuo et historiam Medicinae litterariam repetiit et enarravit Experientiss. BOERNERV<sup>S</sup>, cuius etiam collegio disputatorio et examinatorio, interfui. In numerum candidatorum, supe-

*superato consueto examine, iam d. XXIII. M. Mart.  
c. I. CCLVII. receptus.*

Votum autem sui damnabatur Candidatus, summis in Arte honoribus ab Ordine  
Nostro ornandus, postquam, me Praeside, de *Medico Platonico*, H. L. Q. C.  
Respondens disputauit; cui solemnitati dies XXI. Iulii, dictus est. Quare  
VOS, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, ILLVSTRISSIMI  
COMITES, PERILLVSTRES LIBERI BARONES, PATRES CON-  
SCRIPTI, OMNIVM ORDINVM ATQVE DIGNITATVM ANTI-  
STITES GRAVISSIMI ITEMQVE GENEROSISSIMI  
AC NOBILISSIMI CIVES, qua decet, obseruantia et humanitate  
rogō, vt benevoli fauentesque nobis adesse haud graua-  
tim velitis.

P. P. in Academia Wittenbergensi, Dom. V. p. F. Trin. A. S. R.  
cIɔ Iɔ CC LIX.

EX OFFICINA IOAN. SAM. GERDESI.



1018

811




QKIIu 46

ULB Halle  
002 174 146

3





TATIS MEDICAE  
IN  
VVIT TENBERGENSI  
ET H. T. DECANVS  
VS AVGVSTVS  
NGGVTH  
DIC. D. PATHOL. ET CHIR.  
P. ORDIN  
GYRIN MEDICAM  
. IVLII CICIO CCCLIX  
TORIO MAIORI  
ABENDAM  
INDICIT  
OPTANDA SINE METV MORTIS  
MMENTATIONE PRIORE